Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26139
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Stola autem grece uocatur quod super emineat. Idem et ricinium latino nomine appellatum eo quod dimidia eius pars retro reicitur. quod uulgo mauorte dicunt. Vocatum autem mauortem quasi martem. Signum enim maritalis dignitatis et potestatis in eo est. Caput enim mulieris uir est. inde et super caput mulieris est. Amiculum est meretricum pallium lineum. hoc apud ueteres matrone in adulterio deprehense induebantur ut in tali amiculo potius quam in stola pollue rent pudicitiam. Erat enim apud ueteres hoc signum meretricie uestis. nunc in hispania honestatis. Teristrum palliolum est quo usque hodie arabie et mesopotamie mulieres uelantur. quibus in estu tutissimo teguntur umbraculo. De quo in esaia. Anaboladium amictorium lineum feminarum. quo humeri operiuntur. quod greci et latini sindonem uocant. De stratu et reliquis uestibus que in usu habentur.

VII Stragulum uestis est discolor quod manu artificis diuersa uarietate distinguitur. Dictum autem quod et in stratu et in amictu aptum sit. De quo salemon. Stragulam uestem sibi fecit. Ludices a ludis. id est theatris uocatas quidam existimant. cum enim egrediebantur de ludis et prostibulo iuuenes horum uelamento tegebant caput et faciem quia solet erubescere qui lupanar intrauerit. Galnapes. Fulcra sunt ornamenta lectorum dicta quod in his fulcimur id est sustinemur uel quod thoros fulciant siue caput que reclinatoria uulgus appellat. Ceruicalia eo quod ponantur sub ceruice uel cubito. Puluillus dicitur apuluinari qui est diuitum lectus. Culcite uocate quod calcentur. id est farciantur pluma siue tumento quod molliores calidioresque sint. Tapeta dicta quod pedibus primum sternerentur quasi tapedia. Sipla. tapeta. ex una parte uillosa est. quasi simpla. anfitapa ex utraque parte uillosa tapeta. Lucilius siple atque anfitapa uillis ingentibus molles. Mantelia nunc pro operiendis mensis sunt. que ut ~~siue man~~